

sunt, illi domi remanent: imò *Tacitus Annal. II 63. & XIII. 57.* Hermundurorum fortitudinem deprædicat, quâ Catts, bellicosissimum aliàs populum vicerunt magnò præliò. Et in exercitu Marcomannorum & Quadorum eosdem contra Antoninum pugnasse testis est *Julius Capitolinus apud Carion. l. IV. p. 399.* Quare ego libentius consentio illis, qui Hermunduris præ aliis populis non minùs ad Hermiones (Suevos) pertinentibus propter nominis cognationem, prærogativam etiam quandam virtutis simul adscribunt, quàm iis, qui Hermunduros cum Hermionibus pro iisdem plane accipiunt: nisi & ipsos Hermiones ab *HeerMan* dictos esse velis. Quamquam aliù Hermionum nomen malint àbs Germanicò *Herdmann* / vel sine Spiritu, *Erdmann* derivare. Quemadmodum etiam priscos Germanos id, quod terram vel regionem notat, *Herthum* (h. e. *Herth* & sine Spiritu, *Erd*) appellasse ipse *Tacitus* de *M. G. c. 40.* probat. Imò quod hoc ipso à *Vigevo* nibus atque *Isthævonibus* distincti fuerint, ex § præc. constat.

§. 6. Ab his autem, ut ad priora revertar, regio, quam inhabitaverunt, Hermundurorum terra primùm nuncupata est. Quæ ubi sita fuerit non tantùm explicat *Vellejus Paterculus*, Scriptor inter Romanos non spernendus, asserens, Albim Hermundurorum atque Semnonum fines separare *l. II. c. 106.* conf. *Cluver. Germ. antiq. III. 28.* sed etiam *Strabo l. VII. Geograph.* non procul ab initiò Longobardos; & *Tacitus de M. G. c. 42.* Nariscos, Marcomannos & Quados vicinos Hermundurorum (in quibus Albis oriatur, esse scribunt. Ex quò Hermundurorum limites intra Albim, Salam atque Sudetes Montes fuisse adparet. Hoc est, Hermunduri partem Bohemiæ & totam ferè Misniam, quæ nunc ita vocatur, tenuerunt. Ejusdem sententiæ *Phil. Melanchthon* fuit, ideoque verba doctissimi viri merentur heic legi: Sic ait in *expositione Regionum & gentium*, quæ in *lib. Taciti de mor. Germ. recensentur*: Hermunduri populi in aditu Bohemiæ, & ea regione, quæ nunc Misna & Voilandia dicitur. Nam *Tacitus* clarè affirmat Albim oriri in Hermunduris; Et ad Albim fuisse sedem Hermundurorum, inquit *Strabo*, qui vicinos attribuit Longobardos, de quibus supra dixi. *Vellejus* attribuit vicinos Senonas, sed hi in ripa Albis septentrionali fuerunt. *Tacitus* scribit Catts cum Hermunduris de Salis fontibus dimicasse: Credibile est enim, Catts cum aliquam partem Turingiæ tenerent, progressos,